



Gamelbd.

010

de,

A 10

FELICITATIS  
ÆTERNÆ RATIONEM  
EX MENTIS  
**HUMANAЕ**  
**NATURA**  
DEMONSTRAT

---

ET  
AUDITOES HUMANISSIMOS  
AD  
**ORATIONES**  
**DUAS ALUMNORUM**  
**DISCEDENTIUM**  
AVDIENDAS  
PER OFFICIOSE INVITAT

M. Michaël Heinricus Reinhardus,  
*Lycei Torgav. Rector.*

---

Torgaviae, imprimebat Io. Gottlieb Petersell.

MVNOIR ABBATIALE

TAM ABBATIA

A M V N O I R

COLLEGIALE ABBATIALE

20

COLLEGIALE ABBATIALE



**C**um ea sit seculi nostri & protervia & miseria, ut multi eo maiori iure ingenii gloriam sibi vindicare se posse arbitrentur, quo diligenteres perspicacioresve in gravissimis doctrinæ Christianæ præceptis scurrili ratione & arte vel irridendis, vel reprehendendis reperiantur: sane tantum abest, ut eorum, qui rationem rectam religionis sanctissimæ doctrinæ non repugnare demonstrant, industria aut contemni aut culpari omnino debeat, ut potius omni modo sit acuenda & laudanda, modo religiose in re tanta & pro huius dignitate versetur. Quid enim prohibet illos juratos veritatis divina hostes suis armis, suis telis, quibus tantoper confidunt, oppugnare atque confodere? Accedit iucundissima contemplatio sapientiæ divinæ, quam nunquam ratio humana explorare sincere ausit, quin semper ad religiosissimam eius venerationem vehementissime abripiatur. Quod si igitur iam coner ostendere, de felicitate æterna nihil codicem sacrum docere, quod non ratio hominis recta probet aut potius admiretur, brevis hæc commentatio nostra eo iustiorum merebitur excusationem, quo utiliorem operam hanc nostram iuuentuti nostræ fore confido, quando philosophiæ, quam didicerunt, nonnullam vident utilitatem.

Profecto si ratio humana videt, ea, quæ codex facer de felicitate æterna docet, ita instructa atque composita esse, ut ex iis omnibus gaudium summum & perpetuum efficiatur atque oriatur, quid iure in felicissima hac doctrina accusabit? Si statum voluptatis continua recte appellamus felicitatem, summa sane felicitas fit continuus sensus gaudii, quod ab ipsa voluptate, si est insignis, proficiscitur. Videamus igitur qua ratione voluptas illa insignis, quam gaudium dicamus,

exoriat, & quid de felicitate illa futura liber divinus monstrer.

Quotiescumque aliquod bonum, quod rem quam piam perficit, animadvertisimus atque cognoscimus, toties incundissimo voluptatis sensu afficimur atque perfundimur. Ea enim est mentis nostræ natura, ut, quid sit voluptas illa dulcisima, non tam intelligat quam potius sentiat, causam tamen voluptatis, quæ est boni alicuius contemplatio, semper eandem perspicue &clare videat & deprehendat. Quo fit, ut, quamprimum, quod bonum iudicavimus, aut nihil bonitatis habere aut omnino malum esse, inveniamus, voluptas antea inde percepta ex animo nostro discedat, & contra in eundem redeat, simul ac nosmet nos felicissime, remque eandem omnino excellentem esse reperiamus. Quæ cum ita sint, videmus causam voluptatis excitandæ duplicum omnino esse aliam in bonitate rei cognita aliam in ipsa cognitionis nostræ ratione versari.

Nihil mentis nostræ interesset ad voluptatem sentiendam, utrum bonum, quod iudicamus, sit præsens, an futurum an omnino iam præterierit, cum sufficiat, ut bonum illud vi cognitionis animo nostro præsens existat. Quando igitur in eadem re & in præsentiarum rationem boni inesse opinaris, & simul boni, quod in eo fuerit, recordaris atque deinde prospicias, quid boni inde promittatur, non potest non ex eiusdem rei consideratione triplicis generis gaudium profici.

Quo de arguento si acutius velimus philosophari, dicendum est, non tam rem ipsam, quam bonitatis rationem, quæ illi inest, voluptatis nostræ causam esse. Quocirca si in una re multæ rationes aut gravissimæ rationes bonitatis sunt coniunctæ & quasi compactæ, ex illa re multiplex & magna voluptas in nos redundabit. Ex quo intelligitur, rem, quæ ratione multiplici bona est, voluptatem multiplicem largiri, & voluptatem nostram tantam esse, quantam iudicamus rei, quam contemplamur, bonitatem. Sed illud quoque apparet, voluptatem perfici atque absolví, si id, quod perfecte bonum est, consideremus & attendamus.

Eo-

Bonum, quod in aliis miramur, bis bonum indicamus, si in nobis ipsis licet illud deprehendere. Quod in causa est, quare duplex inde promanet voluptas. Gratum est, bonum aliquod videre. Gratum denuo est, idem nostrum, idem in nostra potestate, esse. Ecquid enim pulcrius, quid iucundius est, quam illud, quod interioris suæ præstantiae consensu bonum existit, cum nostræ quoque felicitatis cupiditate connata aptissime optimeque convenire & conspirare? Jure itaque colligo, voluptatem, quæ ex rei alicuius præstantia, quam intuemur, proveni, repeti & renovari, quamprimum eandem ad nos pertinere & spectare possumus iudicare.

Licet mihi iam hac omnia, quæ de multipli voluntate, ex bonitate rei multa & varia proficidente, abs me iam disputata sunt, comprehendere & argumentari, voluptatem nostram plane insignet & egregiam, in nobis gigni & produci, sive bonitas rei pro temporis diversitate, sive pro sua multitudine & quantitate, seu denique ita simul consideretur, prout, quod bonum censemus, a nobis quoque tenetur & possideatur. Namque quid aliud voluptatem eximiam dicamus, quam voluptatem bonitatis multiplicis cognitione multiplicatam? Enimvero qua ratione voluptas & delectatio multa non sit eadem quoque magna & excellens? Sicut enim unius bonitatis consideratione generatur aliqua voluptas: ita bonitate multipli in re quapiam cognita, non potest non multiplex voluptas connecti & combinari, atque propter hanc ipsam multitudinem, voluptas illa augeri & amplificari.

Quemadmodum autem recte dicitur, ignoti nullam esse cupiditatem: ita quoque multo magis existemus, boni, quantumcumque illud sit, nullam voluptatem esse, nisi idem quoque a nobis cognoscatur & perspiciatur. Quo sit, ut, quomodo cognitionis ratio diversa est, ita quoque voluptas, quæ illa generatur, varia sit, ipsaque varietate sua crescat. Namque si plura simul bona animi nostri contemplatione complectamur, certe multo major voluptas nostra erit, quam si in bonorum nonnullorum paucitate subsistamus. Cum eniro bonum usumquodque suam afferat nobis voluptatem, qua-

re non bona plura mentis nostræ intuitu uno perspecta multiplicem proferant animi delectationem? Qua re illud efficitur, ut mens nostra capax sit voluptatis eo maioris, quo plura bona valet simul intueri atque complecti. Sin vero contingit, ut bonorum multitudinem iam sentiat atque percipiat, quis neget, voluptatem animi nostri insignem tunc non tam esse posse, quam potius iam adesse, & ipso percipi nostro sensu?

Sed illud quoque animadverto, voluptatem animi nostri capere incrementa multo maiora, si cognitio bonitatis est certa, firma atque immobilis, quam si eadem dubia, incerta atque verosimilis sit. In illa enim cognitione certa duplex bonitatis consideratio concurrit, altera rei, quam contemplamur, altera cognitionis, quæ in re ista verlatur. Quis vero dubitet affirmare, quod duplicitis bonitatis consideratio duplexem adeoque maiorem animi reddat nobis voluptatem, quam nuda unius eiusdemque simplicis boni conspectus? Certe, quo certior est boni perspecti notitia, eo maior quoque est voluptas inde imperata, utpote quæ ipsa certitudine cognitionis novas melioresque colligit & assumit vires.

Denique dantur certi cognitionis huius gradus, cum alia omnia ea, quæ in rei bonitate inhærent, considerationis vehementia confundat, alia contra bonitatis illius partes singulas placide discernat atque distinguat. Atque intelligo, hoc ipso gradu dupli cognitionis confusa atque distinctæ voluptatem quoque mentis nostræ mirum in modum differre & discrepare. Enimvero in cognitione illa bonitatis confusa mens nostra sibi conscientia est boni alicuius, sed quod unum & simplex est & sè multa bona intra boni unius terminos coarctat atque concludit. Si igitur unicam tantum voluptatem ab unius boni notitia expectes, non errabis. At vero in cognitione boni distinctæ singulas bonitatis partes ab sè invicem distinguere & numerabitis. Nonne singulæ illæ bonitatis partes computatae ipse quoque bona censeantur? Nonne tunc tot bonorum confici tibi eris, quot bonas partes in una re bona discernes & numerabis? Quodsi autem, quod sèpius dixi, multitudo bonitatis nobis præparat voluptatis copiam;

non

non video, quare cognitionis boni distincta, quæ vi suæ considerationis multiplicis ipsa bona in uno bono multiplicat, in nobis amplissimam unius licet boni voluptatem proferat atque producat. Dicamus igitur hic quoque voluptatem mentis nostræ merito eo maiorem fore, quo distinctior diligentiorque cognitionis illius a nobis instituetur.

Hæc, quæ a nobis de cognitionis nostræ discriminè dicta sunt, sane omnia eo faciunt, ut ipsa quoque amplitudine, certitudine & perspicacia cognitionis nostræ, quæ in bono aliquo contemplando occupata est, gaudium concitari planissime jam intelligamus. Cum enim triplici hac notitiæ nostræ varietate, quæ ad bonum aliquod tendit, voluptatem nostram, ostenderim augeri; ipsum autem augmentum illud voluptatis gaudium prosignat: sane sequitur ut gaudium quoque triplici illa contemplationis via maxime enascatur.

Sed hæc omnia, quamvis nonnullis perquam obscura atque abstrusa esse & scholas nostras potius quam virorum doctorum conspectum aut elegantiam decere videantur: tamen ipsa subtilitate sua ea, quæ de gaudio beatorum futuro codex divinus tradit, plurimum illustrant. Hic enim docet, gaudium æternum proventurum esse ex ipso Dei summi conspectu, quo sanctæ animæ in spirituum cœlestium, consortio jucundissimo fruantur. Certe nunquam non habebunt præsentia bona quaque, quæ intueantur, quæ in numine perfectissimo optimisque spiritibus admirentur. Quando deerit occasio aut facultas recordandi bona præterita, sive beneficia divina sive gloriam patris divini toties laudatam velint sibi in memoriam revocare? Ecquid vero a gratia divina poterunt expectare, nisi quod bonum, pulcrum laudabile & clementia divina, documentis infinitis sibi comprobata, dignum existat? Quicquid contueantur, sive sit præsens sive præteritum sive futurum, semper erit bonum. Neque hoc aut unum aut duplex aut triplex aut omnino magnum erit. Deum ipsum, qui est bonum summum, & in hoc bona infinita, & præter hunc tot bona, quot nunquam & nusquam, in se in suis in aliis in ipsis spiritibus sanctissimis perpetuo & in æternum considerabunt. Et, quod utilissimum est, in se nihil vitii,

con-

contra nihil non boni deprehendent, atque animadventent.  
Quare igitur existimemus, mentem quoque nostram tunc non  
multo plura simul, omnia certius, omnia distinctius & cognoscere posse & cognitum esse, posteaquam imperfecta quaeque perfecta reperiemus. Omnia sic cognoscemus, quasi  
oculis nostris intueamur. Erit itaque cognitio nostra per-  
fecta bonorum tot tantorumque, ut gaudium nostrum perfec-  
tum esse possit. Tu mihi tot & tanta bona numera, quot &  
quanta felicitas aeterna comprehendet, aut ostende mihi sa-  
pientem, quicunque bona simul, tam certo, tamque distincte men-  
te sua teneat, quam quidem anima beata? Numne poteris  
gaudium magis cogitare aut cogitando fingere, quam in coe-  
lis expectabis & Deus promisit? Ego certe non possum non  
jucundissima felicitatis hujus aeternae meditatione plane ab  
omni voluptatis terrestris sensu abripi & avocari. Quia qui-  
dem meditatio facile multo pluribus secunda esset, & fertili-  
tate sua nova gaudia generaret, nisi me scirem mensura mea  
metiri. Sive enim considerem, ipsam recordationem gaudii  
percepti novum gaudium largiri & inde gaudium felicitatis  
aeternae perpetuo nova capere incrementa, quod majoris gau-  
dii indies possimus reminisci; sive attendam, quam pulcre ea,  
qua pescatores docuerunt, cum philosophorum sapientia con-  
fentiant: Non possum non in demississimam sapientiae divinæ  
venerationem abripi atque abduci.

Sed haec jam breviter volui praefari eo potissimum, ut audi-  
tores humanissimos ad orationes duas alumnorum disceden-  
tium perofficiose invitarem. Cum enim duo juvenes, & lin-  
guarum studio & diligentia sua nobis latè spectati, ad academiam  
abire ex parentum optimorum voluntate secum constitu-  
erint: etiam in eo obedientiam & pietatem suam nobis com-  
probare voluerunt, ut uterque carmine vernaculo Musis no-  
stris suum diceret vale. Quaratione igitur antea specimen suo-  
rum profectuum oratione latina uterque edat, & quidem

AVGVSTVS LEBRECHT SÆTTLERVS, Herzberg. Sax. de eloquentia  
laude, tum

JOHANNES GOTTLÖB MARCKWORDTVS, Pretzsch. Sax. de digni-  
tate hominis in Christo conspicua dicat ut perbenevole cras sacris publicis iis,  
que matutinis finitis quod felix sit; audiatis, est, quod religiose a vobis, peto  
& contendeo. Dedi A. O. R. clo Io C CXXXVI. d. XI. Aprilis.

AB:155056

VD 18

ULB Halle  
003 085 112

3




TA → SL  
nur 75 Blatt /

VDT7

R





### Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

ÆTEI  
HUN  
N

AUDIT  
O  
DUAS  
D

M. Michardus,

Torgaviell.

B.I.G.